



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quòd maxima consolatio hominis coram Deo & mundo in rebus & fama,
sit testimonium internum conscientiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

ebrietas, mendacium, blasphemia &c. quæ Deus & scriptura prohibuit, nemo curat neque punit, sed tantum statuta & leges hominum curantur. Sic Iudei mundi volebant manducare pascha, at tamen Christum crucifigunt, Ioan. 18. Matthæi 27. sic propria statuta & inuenta strictè seruamus, & Dei præcepta post tergum reijcimus. Si quis horas negligeret canonicas, vel Monachus ad horam sine cuculla prodiret in publicum, grauius æstimant peccatum fore, quam quòd quotidie est ebrius, tenet in corde rancorem, malos & luxuriosos cogitatus, & id genus alia: & hæc dicitur obstinata conscientia vel cauterizata, & habet suum signum. Verùm hæc à nobis non dicuntur, vt traditiones violentur, sed potiùs seruandæ sunt propter bonum ordinem in Ecclesia, 1. Cor. 14. Sed si quis per hæc velit iustificari, neglectis inter præceptis diuinis, hæc esset mala & erronea conscientia. Sic tamen illa seruanda sunt, vt illis longè præferamus in conscientia nostra diuina præcepta & Euangelicam veritatem. Nam his potioribus semper cedere debent inferiora, tanquam testa nucleo &c.

Apostolus inquit 2. Corinth. 1. Gloria, id est, consolatio nostra hæc est, testimonium conscientia nostræ. & Prouerb. 15. Secura mens quasi iuge conuiuium vel gaudiū. hæc conscientia coram Deo & mundo in rebus & fama consolatur, quantumcunq; diuersum iudicet mundus: si mundus vel laudat vel vituperat, conscientia testimonium concludit. Chrysost. Quid prodest si omnes te laudant, & conscientia tua te accusat? quid obest, si te omnes condemnant, & conscientia excusat? Ideò 1. Pet. 3. Habete conscientiam bonam, vt qui detrahunt vobis, confundantur. Testimonium igitur coram Deo reddit conscientia, siue id bonum vel malum fuerit.

Eccl. 13. Bona est substantia, cui non est peccatum in con-

in conscientia: quasi diceret, quid prodest esse diuites cum grauamine conscientia, id quod fit in usura, in lucro iniusto? Nam qui Volunt diuites fieri, incidunt in varios laqueos diaboli, 1. Timot. 6. Quid enim Saffannam consolabatur in falsa accusatione, nisi bona & innocens conscientia, Daniel. 13. Quid omnes sanctos Martyres, quibus imponebatur quod essent Magi & incantatores, quos liberauit veritas & conscientia bona? Hæc ipsa conscientia tua in extremo iudicio testimonium reddet operum tuorum, vbi cuncta erunt manifesta. Iam longè fallitur mundus, at Christus falli non potest, cui omnia nuda & aperta sunt, & qui scrutatur renes & corda nostra: quare sententia eius vltima non poterit esse falsa. Vnica igitur consolatio in omni rerum pressura: est innocens conscientia: è diuerso in omni gaudio & luxu mundi, turbata mala conscientia est.

3. Nihil præstabilius est in homine bona conscientia, hæc timet Deum semper, & facit proximo sicuti sibi velit fieri, Mat. 7. Econtrà nihil periculosius esse poterit homini mala conscientia, quæ sic iactata est in reprobum sensum, vt mala non cogitet esse mala, & bona non reputet bona: sed vt animalis homo facit quæ non conueniunt, Rom. 1. Quæ non credit Deum esse, nec timet ipsum futurum correctorem mali. Hæc maxima plaga Dei est, si quis à Deo relinquitur. Quare petijt Dauid Psalm. 50. Spiritum sanctum tuum non auferas à me, id est conscientia bonæ conseruatore. Nam infidelium, inquit Apostolus ad Tit. 1. id est, qui Deum corde non timent, non terrentur à malefactis & peccatis: illorum mens & conscientia inquinata est, & vermis eorum non morietur: hoc enim facit Deus, & relinquit in mente etiam quantumcunque inquinata, vt mens aliquando corrigatur & rodatur de malefactis. Ita hodiè homines carnales, sint quantumcunque læti, gloriosi, diuites, & potentes, nunquam

Mar. 9.
Esa. 66.

Heb. 4.
Psal. 7.

tamen
hac, ne
occide

1. Q
2. Q
3. Q
D



Hebr. 1
cutus est
bus istis
enim ve
pheta, f
Dei hon
ipso non
himand
& Zach
us locu
Prophet
Christus
tus est: r
& verbu
semper,
quis hor
tris mei,
Iesus dif
more au
minis ve
tamen